
N. Hemmingius

Assertiones.

Hafniæ 1570.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 798 8° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 798 8° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 798 8° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 798 8° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 798 8° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 798 8° copy 1

3,-119. DA BOX

LN 798
ex. 1

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 798 8° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 798 8° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 798 8° copy 1

ASSERTIONES THEOLOGICÆ,

*QVAS HONORE DOCTO-
ris in Theologia decorandus, Reueren-
dus & Doctiſsimus vir, M. Paulus
Matthias, Sacratiſs: Theologiæ
Baccalaureus, & Epiſcopus
Sielandicarum Eccleſia-
rum digniſsimus, pub-
licè defendet:*

*Præſidente Nicolao Hemmingio
S: Theologiæ Doct.
12. Aprilis
Anno dominj 1570.*

*Hafniæ,
Excudebat Laurentius
Benedictus.*
M. D. LXX.

601

Dn: M. Balthazaro,
Archidiacono Lundensi

C2

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 798 8° copy 1

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 798 8° copy 1

1.

HOMINEM CREA=
tum eſſe ad imaginem DEI,
eſt hominem imprimis condi=
tum eſſe ad ſanctitatem, iu=
ſtitiam & æternam vitam.

2.

Hac imagine quia ſe ipſe ſpoliauit
homo ſuapte culpa, excidit iuſtitia, ſan=
ctitate & æterna vita, & factus ſua
inobedientia iniuſtus, incidit in pro=
phanitatem & æternam mortem.

3.

Hinc factum eſt, quòd homo condi=
tus ad ſummã fælicitatem, inciderit in
extremam miſeriam, qua nihil triſtius,
nihil calamitoſius, nihil deniq; miſera=
bilius cogitari poteſt.

4.

Iam autem ipſa iuſticiæ in Deo ra=
tio poſtulabat, vt homo aut obrueretur

æterna morte & miſeria, aut ſatisfieret iuſticiæ Dei, qui peccato hominis grã-uiſsimè offenſus erat.

5.

Sed homo planè auerſus à Deo per mentis ſuæ vanitatem, intelligentiæ cæcitatem, & cordis obdurationem, nec intelligit, nec vult, nec poteſt quicquã, quod facit ad ſui inſtaurationem.

6.

Hinc eſt quòd Paulus poſt Dauidem dicat, comprobante omnium hominum experientia: non eſt qui intelligat, non eſt qui exquirat Deum, omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui exerceat bonitatem, non eſt vſq; ad vnum.

7.

Homo ergo planè proſtratus iacet peccato, ſeruus peccati factus totus, cuius mens vanis ſpectris, intelligentia

cæca

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 798 8° copy 1

cœca caligine, & voluntas ſpontanea contumacia obruta eſt. Vbi ergo liberum illud arbitriū eſt, quod Græci nunc ἀυτεξούσιὸν, nūc ἀυτεπάγγελτον, nunc ἀυτάιρετον ſuperbè nominant.

8.

Hic Deus æternus, qui eſt æternus pater, & æternus filius, & æternus ſpiritus ſanctus, vnus in vera deitate Deus, & tres hypoſtaſes, verè ſubſiſtentes in vna Deitate, hic inquam Deus ſapientiæ, potentiæ, iuſticiæ & miſericordiæ ſuæ eam rationem habere voluit, vt ſimul ſtarent perfectiſſimè, quò & ab angelis & ab hominibus agnoſceretur, ſum̄mè ſapiens, ſummè potens, ſummè iuſtus, ſummè miſericors, ſine quibus virtutibus, maieſtas Diuina ſalua eſſe non poterit.

9.

Itaq; Deus has virtutes ita tempe-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 798 8° copy 1

rat, in ſaluatione hominis, vt ſimul om-
nes ſtent mutuis auxilijs, nulla ex parte
imminutæ, ſed ſuis gradibus perfectiſſi
mæ, vt meritò Chriſto nato canant An-
geli: Gloria in excelſis Deo.

10.

Nam cùm Deus ſua voce verbum
promiſſionis, de ſemine mulieris, contri-
turo caput Serpentis, hoc eſt, (interpre-
te Iohanne Apoſtolo) de Chriſto, deſtru-
cturo opera Diaboli, hoc eſt peccatum
& mortem edidit, ſuam ſummam Sapi-
entiam commẽdat, ſummam Potẽtiam
monſtrat, ſummam Iuſticiam oſtendit,
& ſummam Miſericordiam declarat.

11.

Summa Sapientia Dei in eo conſpi-
citur, quòd Deus non ſit eo fruſtratus
fine, quem in creatione ſibi propoſuit.
Nam ſapientis eſt, ita propter finem
agere, vt finem aſſequatur. Nunc au-

tem

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 798 8° copy 1

tem ſi Deus, habita ſolius ſuæ Iuſticiæ ratione, hominem æternum damnaßet, excidißet fine creati hominis, atq; ita actum fuißet de ipſius ſumma Sapientia. Cogitat ergo Deus de reparatione hominis ad imaginem ſuam, vt ipſius ſumma conſpiciatur Sapientia, quam Paulus anteponit Sapientiæ principum ſeculi huius.

12.

Potentia Dei ſumma in hoc cernitur, quòd peccatum & mortem, quæ nulla creata potentia ſuperare potuit, deſtruxerit, idq; miro modo, videlicet per mortem filij vnigeniti.

13.

Iuſticia Dei in hoc apparet ſumma, quòd non voluerit humanum genus liberare tantum potentia, quod fuißet illi promptißimum, ſed etiam iuſticia, nihil enim abſurdi facere voluit, & ſua

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 798 8° copy 1

Diuina maieſtate indignum. Voluit ergo ex ſua iuſticia, in vno homine punire peccatum, vt per vnum hominem totus mundus reus eſt factus.

14.

Hinc concluditur ſumma Dei miſericordia, quæ omnia opera Dei excedit, de qua ipſe Dominus Nicodemo cõcionatur: Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.

15.

Porrò hoc myſterium reparationis humani generis per Chriſtum, altius cogitandum & apertius declarandũ eſt, vt magis dulceſcat τετράγωνος illa virtus, quam Deus in hoc reparationis noſtri myſterio, luculentiſsimè cõtemplandam proponit.

Sex

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 798 8° copy 1

Sex itaq; ante omnia cognoſcenda, & fideliter cogitanda ſunt, de reparatore generis humani, Ieſu Chriſto, mediatore & redemtore noſtro vnico: horum primũ eſt, quòd Ieſus Mariæ Virginis filius, ſit ille Meſſias, & reparator humani generis olim promiſſus, & poſtea ſuo tempore exhibitus. Secundum, quòd hic mediator ſit verus Deus, & cur hoc fuerit neceſſe. Tertium, quòd ſit verus homo, & cur oportuerit ita eſſe. Quartum, quòd ſit vna perſona, Deus & homo, & qua de cauſa ita decuerit. Quintum, quòd ſit redemtor & ſaluator noſter, & quibus modis id contingat. Sextum, quomodo nobis hic ſua beneficia offerat, & quomodo eorundem efficiamur participes. De his ſex membris eo quo ſunt à nobis ordine propoſita, breuiter dicemus.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 798 8° copy 1

I. *Quantum autem ad primum attinet, hæc demonſtratio immota, qua ſapientißimi in mundo homines, conuicti ſunt, vt Chriſtum verum Meßiam agnoſcerent, reciperent & colerent, tenenda eſt.*

Ille ſolus abſq; omni dubio, & certiſſimo certius, verus eſt Meßias, promiſſus humani generis Saluator, Sacerdos & Mediator noſter vnicus, in quem ſolum omnia Prophetarum vaticinia conueniunt, & quicquid prædictum eſt de Meßia, à ſanctis Dei prophetis, Moſe & alijs.

In Ieſum autem, Virginis Mariæ filium, omnia Prophetarum vaticinia cõueniunt, & quicquid prædictum eſt à ſanctis Dei Prophetis, Moſe & alijs. Hinc illud Auguſtini: firmitas fidei in eo eſt, quia omnia quæ euenerũt in Chriſto prædicta ſunt. Ie-

Ieſus igitur, Mariæ virginis filius, ſolus abſq; omni dubio, & certiſsimo certius, verus eſt Meſſias, et promiſsus humani generis Saluator, Sacerdos & Mediator noſter vnicus.

Maiorem recipiunt omnes, quotquot de veritate verbi Dei, traditi in Moſe & Prophetis non dubitant. Minorem confirmat Euangelica hiſtoria, & epiſtolæ Apoſtolicæ, & omnium Sanctorũ viua experientia, ex quo fit, vt intrepidè contemnant omnium Diabolorum, Iudæorum & Mahometiſtarum deliria, qui hunc Ieſum nobiſcum non recipiunt, venerantur, colunt.

18.

Quantum autem ad ſecundum attinet, videlicet quòd Mediator noſter, Chriſtus Ieſus, ſit verus Deus, ex quatuor infallibilibus demonſtrationibus patet. II.

Pri-

1. Prima eſt ipſa vox Dei, omni veritate ſuperior: hæc enim vox, Chriſtum & Deum, & Dei filium eſſe, clariſſimè teſtatur in Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis, quæ vt nota prætereo.

2. Secunda ſumitur à diuinis Chriſti operibus: cui enim tribuitur proprium, quod vni ſoli eſſentiæ conuenit, huic etiam eſſentiam tribui neceſſe eſt. Cum ergo tribuitur Chriſto, creatio, viuificatio, imperium in omnes creaturas, excitatio mortuorũ, inſpectio cordium &c: quæ omnia ſunt diuinæ eſſẽtiæ propria, neceſſe eſt, vt ipſum Deum agnoſcamus.

3. Tertia ſumitur à cultu, quem vniuerſa creatura illi tribuit, qui cum ſit Dei proprius, ſequitur ipſum Deum eſſe. Solus enim Deus adorandus, inuocandus & colendus eſt: hunc cultum Chriſto ſcriptura tribuit.

4. Quarta ſumitur à teſtimonio Ec-

cleſiæ

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 798 8° copy 1

cleſiæ, quæ, vt eſt in ſymbolis, Chriſtum confitetur & prædicat, verum Deum de Deo vero, genitum, non factum, conſubſtantialem patri.

19.

Has demonſtrationes de vera Chriſti diuinitate, opponamus omnium Diabolorum & hominum furoribus, & acquieſcamus, in vera ſententia Catholicæ Eccleſiæ filij Dei.

20.

Quòd autem neceſſe fuerit noſtrum mediatorem Ieſum Chriſtum, eſſe Deum verum, ex duabus demonſtrationibus patebit.

21.

Prior, nulla finita potentia potuit malum illud tollere, quo oppreſſum erat humanum genus, quod tamen facere mediatorem oportuit. Quæ enim creatura potuiſſet peccati onus tollere, iu-

ſtam

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 798 8° copy 1

ſtam iram Dei mitigare, potentiam mortis vincere, ac Diaboli tyrannidem ſuperare?

22.

Poſterior, nulla creata potentia, potuit reſtituere homini bona, quæ per peccatum amiſsa erant, quod Mediatorem oportuit facere. Nulla creatura potuit reſtituere homini, perfectam ſapientiam, iuſticiam, ſanctitatem & plenam redemtionem, quæ plura requirit, videlicet, vt Mediator ſit perpetuus cuſtos eccleſiæ, & membrorum eius: vt videat gemitus cordium: vt ſit vbique præſens: vt excitet mortuos in extremo die: vt excitatos ornet immortalitate, & æternæ fœlicitatis gloria. Quis non videt hæc bona, non potuiſse reſtitui, niſi Mediator, (cuius erat hæc omnia facere) Deus eſset?

Ter-

23.

Tertium quod propoſui neceſſariò III.
ſciendum eſſe de Mediatore eſt, quòd Mediator noſter, ſit verus homo, & cur hoc fuerit neceſſe.

24.

Quòd ſit verus homo, de ſemine Abrahæ, ſecundum ſcripturam natus, ſatis liquet ex promiſſionibus veteris teſtamenti, & ex hiſtoria noui teſtamenti, quare hoc vt notum prætereo.

25.

Cur autem oportuerit Mediatorem hominem eſſe, plures cauſæ ex verbo Dei colligi poſſunt. Primum enim hoc poſtulabat Iuſticia Dei. Nam congruebat Iuſticiæ diuinæ, vt quemadmodum vnus homo, ſua culpa coniecit reliquos in mortem, ita vnus in humano genere, reſtitueret vitam, iuſtè prius placata ira Dei. Deinde imago Dei, erat repa-

randa

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 798 8° copy 1

randa in homine per hominem, quemadmodum per hominem amiſſa erat. Tum adoptio noſtri non potuit fieri niſi per hominem, qui verus & vnigenitus filius Dei erat. Poſtremò certitudo reſurrectionis corporum noſtrorum, quæ inde pendet, quòd cum mediatore noſtro coniuncti ſimus naturæ ſocietate 1. Corint. 15.

26.

IV. Quartum quod ſciendum neceſſario de mediatore dixi, eſt quòd mediator noſter ſit vna perſona, in duabus naturis ſubſiſtens, & cur hoc fuerit neceſſe.

27.

Quòd autem mediator noſter ſit vna perſona, multa teſtantur ſcripturæ teſtimonia, ex quibus pauca adſcribam. Ioh. 1. *Verbum caro factum eſt*, & addit: & *vidimus gloriam eius, gloriam tanquam filij vnigeniti à patre*, ſi iam

fuiſ-

fuißent duæ perſonæ, Deus & homo, Mediator noſter, dixißet Iohannes: vidimus eorum gloriam, & non ipſius. Matth. 4. Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi complacui, Ipſum audite. Hic pater agnoſcit vnum & eundem, ſuum filium & Mariæ filium, & dicit: Hunc audite, vt ſignificet vnam eße perſonam. Et Paulus Rom. 1. dicit: Filius Dei natus eſt ex ſemine Dauid Rom. 9. ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia, Deus benedictus in ſecula. Chriſtus ergo vnus eſt, id eſt vna perſona.

28.

Ob hanc ineffabilem Diuinæ naturæ, & humane naturæ vnionem perſonalem, fit mutua proprietatum vtriuſq; naturæ alternatio, & alterna prædicatio, vt rectè dicatur: homo eſt De-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 798 8° copy 1

us, Deus eſt homo, homo eſt creator, creator eſt paſſus.

29.

Verùm hæc alternatio, fit ſolummodo in concreto, hoc eſt, cùm ſubiectū propoſitionis eſt concretum. Et nullo pacto in abſtracto. Nam cùm in concreto fit, ſignificatur perſonæ vnitas. Si fieret in abſtracto, fieret quoq; naturarum, proprietatum naturalium, & modorum naturarum confuſio.

30.

Vt enim poſt vnionem, oportet nos confiteri vnam perſonam, Deum & hominem: Ita naturas ſaluas & integras, ſine confuſione manere, credere nos oportet.

31.

Saluis igitur naturis & integris, inconfuſæ proprietates, & naturarum modi manent.

Etſi

32.

Etſi autem, nec naturæ, nec naturarum proprietates, aut modi confunduntur: tamē actiones Mediatoris, perſonæ ſunt totius, non huic vel illi naturæ ſeorſum adſcribendæ, neque impedit, quòd quædā actiones, propriè à diuina, quædam propriè ab humana natura proficiſcuntur, vt enim cùm de homine loquimur: homo intelligit, homo currit, hominis perſonæ tribuuntur actiones, quorum alia propria eſt animæ rationalis, alia corporis, tamē vtraque perſonæ hominis tribuitur: Ita cùm de Chriſto dicimus, Chriſtus creat, Christus patitur, perſonæ Chriſti tribuūtur actiones, quarum alia deitati, alia humanitati conuenit, Sed tamen vtraq; perſonæ Chriſti tribuitur.

33.

Propter has ergo actiones ſaluationis, oportuit Mediatorem eſſe vnā per-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 798 8° copy 1

ſonam, cuius etſi plures cauſæ à Teologis numerantur, tamen hæc eſt præcipua, vt actiones Mediatoris in humana natura, ſint infiniti precij, quia ſunt actiones perſonæ, quæ eſt Deus, infinitæ potentiæ.

34.

Eſt proinde ex indiuidua, naturæ diuinæ & humanæ, in vna perſona vnione, dignitas infinita, perfectio abſolutiſſima, & inæſtimabile precium ſanguinis, mortis, & precationis, atq; adeò omnium actionum & paſſionum Christi, in ſanctiſſima humanitate Chriſti. Inde enim eſt potentia & virtus delendæ iniquitatis, poteſtas remittendi peccata, iuſtificandi, viuificandi & ſaluandi credentes.

35.

V. Quintum, quod neceſſario tenendū eſſe de Mediatore dixi, eſt quòd Mediator

ator noſter, ſit redemtor & Saluator noſter, & quomodo redemtionis & ſaluationis noſtræ partes peregerit.

36.

Quòd Mediator noſter, ſit redemtor noſter, & Saluator noſter, ex multis teſtimonijs, hæc pauca propouo. Moiſes Gen. 3. Semen Mulieris conteret caput Serpentis, Et Dominus ad Abraham: Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes. Et Gabriel ad matrem Domini: Tu vocabis nomen eius Ieſum, quia populum ſuum liberabit à peccatis eorum: Et Angelus ait paſtoribus: Ecce annũcio vobis gaudium magnum, quòd vobis Saluator ſit natus in ciuitate Dauid. Paulus quoq; ait: Certus ſermo, & omni approbatione dignus, quòd Ieſus Chriſtus venit in mundum ſaluare peccatores.

37.

Sed quomodo noſter eſt Saluator?

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 798 8° copy 1

1. primum, tollit merito mortis ſuæ pecca-
2. tum, quod nos habemus. Secundo, donat
nobis ex merito obedientiæ ſuæ erga le-
gem Dei, iuſticiam quam nō habemus.
3. Tertio, ſuo ſpiritu nos ſanctificat & re-
generat, vt fiamus filij Dei, quod non
4. eramus. Quarto, liberat nos ab inferno,
quem ipſi meriti eramus, & introducit
nos in æternæ ſalutis poſſeſsionem,
quam ipſe nobis meruit.

38.

VI. Sextum quod refert ſcire de Mediatore eſt, quomodo nobis beneficia Mediatoris offerantur, & quomodo à nobis percipiantur.

39.

Chriſtus aſcenſurus in cœlum, inſtituit miniſterium verbi, & iuſsit prædicari pœnitentiam, & remiſsionem peccatorum omnibus, in ſuo nomine, addēs hanc promiſsionem: Qui crediderit &

bap-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 798 8° copy 1

baptizatus fuerit, ſaluus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur.

40.

Pertinet ergo miniſterium Euangelij eò, vt per illud colligatur eccleſia, & in ea ſonet vox Euangelij, & percipiantur Sacramenta, promiſsionum obſignationes.

41.

Verùm quia ea eſt in nobis ignorantia & torpor, vt nec peccatum noſtrum ſatis intelligamus, nec maledictionis ſententiam, in nos latam, vt decet cogitemus, opus eſt miniſterio legis, quæ vt doctrina, ignorantiæ noſtræ de peccato medetur: ita maledictionis ſententia in tranſgreſsores, torporem pellit, vt veluti excitati à profundo ſomno, morbum intelligamus, & ab eo periculum maximum nobis imminere, niſi quæramus Chriſtum medicum, qui ſolus medicinam animæ nouit, ſciamus.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 798 8° copy 1

Eſt autem lex præceptio diuina obligās omnes homines vel ad puram, perfectam, perpetuam & ſpiritualem obedientiam, vel ad pœnam maledictionis & mortis æternæ, niſi aliunde ſuccurratur, & legi ſatisfiat.

43.

Nunc autem cùm communis naturæ humanæ prauitas, vniuerſalis experientia, iudicium Dei iuſtum, conſcientia cuiuſq;, aperta ſcripturæ teſtimonia, repugnantes conditiones legis diuinæ, & carnis noſtræ, & neceſſitas Mediatoris, conuincunt neminem (excepto vno Chriſto) poſſe legem facere, ſequitur omnes homines (excepto vno Chriſto) obligari lege diuina, ad pœnam maledictionis & mortis æternæ.

44.

Falſa eſt igitur omnium Hypocritarum,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 798 8° copy 1

tarum, Phariſæorum, Pelagianorū & Papiſtarū opinio, qui putant, & docent legem Dei, poſſe præſtari ab homine, puris, vt vocant, naturalibus, vel ſine gratia, vt loquitur Pelagius.

45.

Et cùm imperitè dicunt nullum eſſe vſum legis, ſi non iuſtificet, nos contrà contendimus, legis vſum eſſe maximū in Eccleſia Dei ac longè vtiliſſimum. Nam legis diuinæ triplex vſus eſt: Externus, Internus & Spiritualis.

46.

Externus vſus legis eſt, regere externi hominis mores, diſciplina cum lege Dei congruente, vt homines quietè et tranquillè in hac vita viuere poſſint.

47.

Internus vſus, in conſcientia hominis locum habet, quem lex docet, accuſat, damnat. Docet quid faciendum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 798 8° copy 1

& quid fugiendũ ſit, accuſat legis trãſ-
greſſorem, condemnat reum, propoſita
maledictionis & mortis pœna æterna.

48.

In hoc interno vſu legis, ſpectan-
dum eſt conſilium Dei quod conuenit cũ
parabola de Rege, cui à ſeruo debitore
debebãtur decies mille talenta Mat. 18.
Vt enim hic Rex exegit debitum, quod
ſciuit ſeruum non eſſe ſoluendo, ſed ta-
men iuſtè exegit, quod ſibi debebatur,
vt ſeruus ſuam agnoſceret inopiam, cõ-
fugeret ad gratiam, & peteret debiti
condonationem: Ita Deus ipſe, ſua lege
requirit quod ſibi debetur, nempe purã,
perpetuam, perfectam & ſpiritualem
obedientiam erga ſuam legem, idq; eo
fine facit, vt homo agnito peccato ſuo,
conſiderata ira Dei, & propria miſe-
ria, quærat ex gratia, quod naturæ vi-
ribus obtinere non poteſt.

At.

Atque ita lex, homini ſaucio occaſio eſt quærendi medicum Chriſtum, qua de cauſa potiſsimum dicitur pædagogus ad Chriſtum. Hoc eſt vt Paul: Gal. 3. interpretatur, Deus concluſit omnia ſub peccato, vt promiſsio detur credentibus ex fide. Promiſsio autem hæc reconciliationis eſt per Chriſtum.

50.

Cum ergo homo, ita legis malleo contuſus & humiliatus, ſentit guſtum pœnarum inferni, aut deſperabit, vt Iudas: aut quæret Chriſtum medicum vt Petrus, quô intelligat quàm ſuauis ſit dominus, & quàm beatus ſit homo, qui ſperat in eo.

51.

Hic ergo primũ tempeſtiuè proponitur Euãgeliũ quod eſt prædicatio pœniten-

tiæ

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 798 8° copy 1

tiæ (id eſt conuerſionis) & remiſsionis peccatorum, in nomine Chriſti, ad omnes populos & nationes Mundi.

52.

Hæc definitio, cùm habeat Chriſtum autorem, labefactari non poteſt. Sed rectè intelligendum eſt vocabulum pœnitentiæ, quo vſus eſt vetus interpres reddens vocem μετανοίας, *quæ eſt cõuerſio hominis ad Deum, per fidem in Ieſum Chriſtum. Nam hec conuerſio (etſi antecedit eam contritio, & ſequitur nouitas vitæ) in ſola fide poſita eſt.*

53.

Ei autem qui ita conuertitur, hoc eſt, credit in Chriſtum, Euangelium offert remiſsionem peccatorum, idq; promiſcuè, ſine acceptatione perſonarum & nationum, ſine peccatorum commiſſorum diſcrimine. Gratia enim exuberat pluſquam peccatum.

Cum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 798 8° copy 1

54.

Cum hac fide remiſsionis peccatorum, coniuncta ſunt duo, videlicet gratia, & donum, quæ ab illa, nec ſeparari vnquam poſsunt, nec debent.

55.

Gratia eſt ipſa iuſtificatio, quæ eſt imputatio iuſticiæ Chriſti, qua homo remiſsis peccatis, verè fit & cenſetur iuſtus coram Deo. Eſt enim hîc iuſticia, nihil aliud quàm perfecta legis impletio, à Chriſto quidem facta, ſed credenti donata & imputata, vt ea iuſtus ſit, & cenſeatur coram Deo. Atq; hoc eſt quod Paulus dicit Rom. 10. Chriſtus eſt finis legis, in iuſticiam omnì credenti, hoc eſt, omnis qui credit, habet quod lex requirit, nempe iuſticiam, non quidem à ſe factam, ſed ſibi imputatam à Chriſto.

Quòd

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 798 8° copy 1

56.

Quòd autem hæc iuſticia, qua credentes iuſti ſumus, non ſit eſſentialis Dei iuſticia, vt voluit Oſiander, ſed obedientia Chriſti, qua impleuit legem Dei, docet Paulus apertius Rom. 5. quàm vt negari poſſit.

57.

Donum, quod diximus coniunctum eſſe, cum fide remiſſionis peccatorum, eſt donatio ſpiritus ſancti, qua homo ſola fide iuſtificatus, regeneratur, hoc eſt: mortificatur & viuificatur, vt iam noua ſit creatura, Deum vero cultu colens, iuxta legis normam, quantum quidem id fieri poteſt in hac infirmitate.

58.

Hic ergo ſe offert tertius vſus legis, quem ſpiritualem dixi, eò quòd pertineat ad hominem, ſpiritu Dei regeni-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 798 8° copy 1

genitum, in hunc finem, vt Deo ſer-
uiat omnibus diebus vitæ ſuæ, in iuſti-
cia & ſanctitate vera.

59.

Homo proinde fide iuſtificatus, & Spiritu Dei regenitus, proponet ſibi legem Dei, tanquam normam cultus diuini, vt Deum ſua obediẽtia glorificet.

60.

Atq; ita apparet, quòd ad cultum Dei verum requiratur, & norma legis, & fides Euangelij: Nam vt norma legis materiam cultus diuini monſtrat, ita fides Euangelij, veluti formam induit materiæ, vt ſit & verè dicatur cultus Dei.

61.

Eſt proinde cultus Dei omnis obedientia, à Deo mandata, ex fide proficiſcens, & in gloriam Dei principaliter tendens.

Vt

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 798 8° copy 1

62.

Vt autem in hoc cultu Deo præſtando non erretur, eadem fides facit. Hæc enim ſola eſt fundamentum, principium, dux & gubernatrix cultus diuini, atq; adeo omnium actionum & virtutum Chriſtianarum. Fundamentum eſt, quia ſuper ea extruitur cultus diuinus: Principium, quia ab ea manat, vt à fonte: Dux, quia regit cultum diuinum inter limites legis diuinæ, ne vel deflectamus in Hypocriſin, & traditiones Diabolorum & hominum, vel feramur in peccata conſcientiam vaſtantia. Deniq; gubernatrix eſt, facit enim vt pij rectà ferantur, in cultu præſtando, ad finem, videlicet ad gloriam Dei, ædificationem Eccleſiæ, & vtilitatem proximorum.

63.

Tranſitio. *Hactenus, quomodo verbo benefi-*

cia

cia mediatoris offerantur & fide percipiantur diximus, nunc reliquum eſt inſtrumentum alterum, quo eadem beneficia & offeruntur & percipiuntur, videlicet Sacramentum à Chriſto inſtitutum.

64.

Sunt autem duo Sacramenta propria Eccleſiæ Dei, videlicet Baptiſmus & Cœna Domini, Baptiſmo regeneramur, Cœna Domini alimur in corpore Chriſti.

65.

Porrò, quia Iohannes Euangelium Chriſti ideo annunciari dicit, vt ſit ſocietas quædam Sanctorum, hoc eſt Eccleſia, iam quid Eccleſia ſit, & quomodo fulciatur paucis aperiendum eſt.

66.

Eccleſia itaque eſt iuxta Symbolum Apoſtolicum, ſocietas Sanctorum,

quæ definitio ex primo capite primæ epiſtolæ Iohannis deſumta eſt, vbi Iohannes exhortaturus ad ſanctitatem vitæ, & fugam tenebrarum, dicit credentes habere ſocietatem cum patre, & cum filio eius Ieſu Chriſto, & inter ſe inuicem. *Annunciamus vobis, inquit, quod vidimus & audiuimus, vt & vos habeatis ſocietatem nobiſcum, & ſocietas noſtra ſit cum Patre, & cum Filio eius Ieſu Chriſto.*

67.

Hæc ſocietas tria complectitur, videlicet arctiſsimam coniunctionem, qua & ſancti cum Deo, & inter ſe coniunguntur, benigniſsimam communicationem, qua vt Deus liberaliſsimè effundit ſuum ſpiritum in ſanctos, & multa ſpiritualia & corporalia dona illis confert: Ita verè Chriſtiani, mutua ſibi ex dilectione officia præſtant,

&

& ampliſsimam rerum communium poſſeſsionem, quæ ſanè poſſeſsio duplex eſt, vna in hac vita locum habet, altera in omnem æternitatem durabit.

68.

Etſi autem rectè ex Symoblo definimus Eccleſiam : tamen nihil iuuat Anabaptiſtas, qui ex hac definitione, quam nobiſcum approbant, efficere volunt, non eſſe ibi Eccleſiam, vbi ſunt multi mali, & graſſantur multa vicia.

69.

Nam diſcrimen facimus cum Chriſto, inter triticum & Zizania, inter verè ſanctos & prophanos, inter Eccleſiam, quæ hoc nomine digna eſt, & externum cætum audientium Euangelium & participantium Sacramenta.

70.

In externo enim cætu Eccleſiæ, duplicia ſunt membra, videlicet viua in

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 798 8° copy 1

Chriſto per fidem, quibus conuenit definitio ex Symbolo adducta, & mortua, quales ſunt omnes, qui profitentur verbis & Sacramentis Chriſtianiſsimum, ſine vera pœnitentia.

71.

Nam vt in populo Iſrael fuerunt multi, qui ſe Abrahami filios, & membra veræ Eccleſiæ profitebantur, inter quos pauciſsimi quidem erant filij, vt Paulus loquitur, promiſsionis, plurimi verò carnis: Ita & hodie in externo cœtu Eccleſiæ, plurimi quidem ſunt, qui gloriantur de titulo Eccleſiæ, pauciſsimi verò qui inſiſtunt veſtigijs fidei, & obedientiæ Abrahæ.

72.

Vt autem fidei veſtigijs ſoli illi inſiſtunt, qui viua fiducia in promiſsionem gratuitam recumbunt: Ita obedientiæ veſtigijs inſiſtunt, qui ex fide obe-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 798 8° copy 1

obedientiam erga Deum, exemplo Abrahæ omnibus rebus mundi antepo- nunt, in qua re, Chriſtiana in hac vita perfectio conſiſtit, & nõ in paupertate & voto, vt inſulſi Monachi garriunt.

73.

Porrò Eccleſia Dei, extructa per verbum & Spiritum ſanctum, regitur & fulcitur Verbo, Spiritu, Sacramen- tis, Diſciplina & Ceremonijs, in his Eccleſiæ poteſtas poſita eſt, quæ cla- uium & iurisdictionis dicitur.

74.

Verbum debet eſſe non hominis, ſed Dei: Spiritus Chriſti, non Diabo- li, Mundi, aut AntiChriſti: Sacramen- ta diuina, & non humana, vt Baptiſ- mus & Cœna Domini: Diſciplina, quæ nos regat in via Domini, & non abducat ad hominum commenta: Cere- moniæ, quæ ædificant, & nõ deſtruunt.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 798 8° copy 1

75.

Hæc coniuncta, Eccleſiam conſeruant & fulciunt, vt tandem ad fælicitatis promiſſæ portum, imò plenam poſſeſſionem perueniat.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 798 8° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 798 8° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 798 8° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 798 8° copy 1